



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Clypeus Theologiæ Thomisticæ**

In Tres Partes Divisus, Et Quinque Voluminibus Comprehensus

[Tractatus de attributis, de visione beatifica, de scientia Dei ac de ejus  
voluntate et providentia]

**Gonet, Jean-Baptiste**

**Coloniæ Agrippinæ, 1671**

§. II. Solvuntur objectiones

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-77132](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-77132)

67 Denique probatur conclusio, demonstrando essentia divina convenire omnes condiciones ad rationem speciei intelligibilis requisitas. Tres enim condiciones requiruntur, ut substantia aliqua per seipsam possit esse species intelligibilis alieni intellectus. Prima est, ut per suam essentiam sit actu intelligibilis: ob cuius defectum substantia materiales (teste D. Thomâ 2. contra Gent. cap. 98. circa finem) non possunt esse species intelligibiles, sed oportet quod per intentiones abstractas intelligantur. Secunda est, ut sit intellectui intimè unita: ob cuius defectum, substantia unius Angeli non potest esse species intelligibilis intellectus alterius, ut ibidem docet idem S. Doctor. Tertia est, ut sit suum esse, ob cuius defectum, nulla substantia creata, quantumcunque esset intimè conjuncta alieno intellectui concurrendum suam entitatem, posset esse species intelligibilis illius, teste eodem D. Thomâ 3. contra Gent. cap. 51. Et ratio etiam id suadet: nulla enim substantia potest esse principium intelligendi alieno intellectui, nisi sit ipsa veritas, & intelligibilitas per essentiam, ac proinde nisi sit in supremo gradu intellectualitatis & actualitatis; quod non potest habere, nisi sit suum esse per essentiam. Illæ autem tres condiciones perfectissimè Deo conveniunt: Nam ut ait S. Thomas quodlibeto 7. quæst. 1. art. 1. *Essentia divina, cum sit à materia separata, est per se actu intelligibilis. Intellectui etiam præfens est, quia ut dicit Augustinus: Deus unicuique rei est vicinior, quam ipsa res sit.* Et præterea est suum esse, ut demonstrat S. Thomas supra quæst. 3. art. 4. Ergo essentia divina habet omnia requisita, ut sit species intelligibilis intellectus creati.

68 Dico secundo: Divinam essentiam unitam intellectibus beatorum, aliquo modo habere rationem speciei expressæ, seu verbi: non tamen propriè, sed solum communiter & impropriè.

Prima pars hujus conclusionis patet, quia de ratione speciei expressæ, seu verbi, est esse intellectum in actu, & expressè, ac in actu secundo representare objectum: Sed divina essentia se ipsam expressè, & in actu secundo representat, ac unitur intellectui beato, ut intellectum in actu, per seipsam faciens intellectum in actu, inquit sanctus Thomas hic art. 2. ad 3. Ergo essentia divina aliquo modo habet rationem verbi, seu speciei expressæ in visione beata.

69 Secunda etiam pars ejusdem conclusionis colligitur ex eo dem S. Doctore quæstione quarta de veritate, articulo secundo, ubi ait, *Verbum intellectus in nobis duo habet de sua ratione: scilicet quoddam est intellectum, & quoddam est ab alio expressum.* Ergo cum divina essentia, ab intellectu beato non sit expressa, nec terminus per illum productus; non habet propriè rationem verbi in ordine ad intellectum beatum.

Confirmatur: Quamvis in cognitione essentiali, quâ Deus se intelligit, essentia divina seipsam manifestet intellectui increato; quia tamen non procedit ab illo; non habet propriè rationem verbi, & speciei expressæ respectu illius; ut docet idem Doctor Angelicus loco citato in resp. ad 1. & in 2. Tractatu præcedenti fuscè declaravimus. Ergo similiter; quamvis illa seipsam in actu secundo manifestet intellectui beatorum, & terminet intrinsecè eorum intellectum; quia tamen ab illo non procedit, sicut Filius à Patre in generatione æterna; non habet

Disp. 2.  
art. 2.

A propriè rationem verbi, seu speciei expressæ, sicut secunda Sanctissimæ Trinitatis Persona.

## §. II.

## Solvuntur objectiones.

Objicies primò: D. Thomas quodlibeto septimo, quæstione prima, articulo primo sic habet: *Lumen gloriae facit hoc respectu divinae essentiae in intellectu, quod facit respectu aliorum intelligibilium, quæ non sunt lux tantum, species rei intellectæ, simul & lumen: sicut si lux sensibilis per se existeret, ad eius visionem sufficeret lumen oculum perficiens.* Et in resp. ad 2. ait, quod *intellectus creatus sit actu ad videndam divinam essentiam per lumen gloriae, & hoc sufficit.* Ergo ex D. Thoma ad visionem beatificam sufficit concursus luminis gloriae, nec requiritur unio divinae essentiae per modum speciei intelligibilis, cum intellectu beati.

Respondeo concessio Antecedente, negando 72. Consequentiæ. Nam Divus Thomas ibi solum intendit attribuire soli lumini gloriae, officium actuandi intellectum per modum formæ, & principii ipsi inharrentis: cum enim in aliis cognitionibus necesse sit, quod duplex principium inhaereat potentiae cognoscitivæ; species scilicet, & lumen: in visione tamen beata est unicum tantum principium inharrens, scilicet lumen gloriae. Unde quando ibi videtur excludere concursum speciei, non intendit negare concursum divinae essentiae in ratione speciei, sed tantum concursum speciei creatæ, & inharrentis intellectui beatorum, ut constat exemplo lucis sensibilis quod adducit. Sicut enim si lux corporea esset per se subsistens, videretur quidem absque concursu speciei distinctæ, & oculo inharrentis, quia seipsa visibilis est; generet tamen vices speciei in visione sui. Ita etiam, quia divina essentia est ipsa lux increata, & per se subsistens in ordine intelligibili, non potest fieri intelligibilis per aliquid à se distinctum, nec per aliquam speciem creatam intellectui beatorum inharrentem, sed ipsamet debet concurrere per modum speciei ad sui cognitionem.

Objicies secundo: Essentia divina non potest gerere vices causæ formalis, ut communiter docent Theologi, ex quo inferunt illam non posse supplere vices luminis gloriae, ut infra dicemus: Sed species intelligibilis habet rationem causæ formalis respectu intellectus, cum proprium ejus munus sit determinare intellectum & tribuere speciem intellectus, quæ duo ad genus causæ formalis spectant: Ergo essentia divina non potest uniri intellectibus beatorum, per modum speciei intelligibilis.

Confirmatur primò: De ratione speciei intelligibilis est, quod constituat intellectum in actu primo ad intelligendum, quia intellectus secundum se est pura potentia in genere intelligibili, & veluti tabula rasa: unde ut fiat potens ad intelligendum, debet constitui in actu primo per speciem intelligibilem: Sed hoc nequit præstari sine inharrentia & informatione: Ergo de ratione speciei intelligibilis, est quod inhaereat intellectui, vel ipsum informet.

Confirmatur secundo: Essentia Divina, cum sit actus purus, nequit se habere per modum potentiae, respectu visionis beatificæ: Ergo neque potest constituere intellectum in actu primo, per ordinem ad illam; nam actus primus est in

potentia ad actum secundum, & per illum perficitur.

Ad objectionem respondeo distinguendo Majorem, Essentia divina non potest gerere vices causæ formalis, in esse naturali, & entitativo, concedo; in esse intentionali, & intelligibili, nego. Similiter distinguo Minorem: species intelligibilis habet rationem causæ formalis: in esse intentionali, vel intelligibili, concedo. In esse naturali, & entitativo, semper, nego. Solutio est D. Thomæ 3. cont. Gent. cap. 5. i. cuius verba infra referemus.

Explicatur: Multiplex intercedit discrimen inter formam naturalem & intelligibilem, ex quo fit Deo repugnare rationem formæ naturalis, & in esse entitativo, non verò rationem formæ intelligibilis. Prima, & præcipua differentia, quæ est radix, & fundamentum aliarum, consistit in hoc, quod forma naturalis se tenet ex parte subjecti, tanquam virtus illud perficiens, & illi accommodatur: species verò, seu forma intelligibilis, se tenet ex parte objecti, tanquam ejus imago, & similitudo formalis, illudque repræsentat. Ex quo oritur secunda differentia: nam forma naturalis limitatur, & contrahitur à subjecto in quo recipitur, & illi subordinatur, ac ab eo dependet: forma verò intelligibilis, ut talis est, nec subordinatur subjecto in quo recipitur, nec ab ipso contrahitur, aut limitatur; sed in eo retinet totam suam amplitudinem, & universalitatem, ideoque si objectum sit infinitum, repræsentat infinitè, nec limitatur ab alio. Quod potest illustrari, & declarari exemplo speciei naturam humanam repræsentantis: illa enim potest dupliciter considerari. Primò quatenus est aliquid accidentis in esse entitativo receptum in subjecto, & sub hac ratione est qualitas individua per subjectum. Secundo in esse repræsentativo, & sic nullum singulare determinatum repræsentat, sed naturam ipsam secundum suam universalitatem, & ut abitrat à singularibus. Unde S. Thomas 1. parte quest. 70. art. 2. ad 2. dicit, quod forma intelligibilis est in intellectu, secundum ipsam rationem formæ: id est (ut rectè explicat Banez ibidem) secundum totam amplitudinem, & universalitatem, quæ ei in esse intelligibili competit.

Tertia differentia consistit in hoc quod forma naturalis ad hoc tendit, ut ex ejus unione cum materia resultet unum tertium, ex quo fit, quod illa tanto aptior sit, ut uniat materia, quanto est minus completa; & ideo anima nostra potest esse forma corporis, non autem substantia Angelicæ: forma verò intelligibilis non ordinatur ad componendum unum tertium, sed tantum ut determinet, & perficiat intellectum ad intelligendum, quod tanto melius, & perfectius præstat, quanto completior, actualior, & immaterialior est. Unde ratio formæ totalis & completa non repugnat formæ, & speciei intelligibili, sed maxime illi convenit; cum illa debeat solum perficere, & complere, non verò perfici, aut compleri.

Hanc differentiam & doctrinam egregie explicat & illustrat D. Thomas 3. cont. Gent. cap. 5. i. ubi loquens de essentia divina, sic ait: *Nec tamen potest esse forma alterius rei secundum esse naturale: sequeretur enim, quod simul cum aliquo uniat constitueret unam naturam, quod esse non potest, cum essentia divina in se perfectè sit in sui natura: species autem intelligibilis unia intellectui, non constituit*

A aliquam naturam, sed perficit ipsum ad intelligendum, quod perfectionem essentia divina non repugnat. Quibus verbis, & docuit nostram sententiam, & præcipuum adversariorum fundamentum evertit.

Dices: Esse intelligibile, & entitativum, non distinguuntur virtualiter in Deo; alioquin conceptus naturæ & essentiæ virtualiter in eo differrent, cujus oppositum Tractatu præcedenti ostendimus: Ergo repugnat, quod essentia divina uniat intellectui beatorum, per modum formæ intelligibilis, nisi etiam illi uniat, per modum formæ entitativæ, & naturalis.

Respondeo concessio Antecedente, negando Consequentiam: Licet enim in Deo natura, & existentia; vis intelligendi, & ipsum intelligere; scientia simplicis intelligentiæ, & visionis, virtualiter non distinguantur; quia tamen differunt per analogiam ad creaturas, & per ordinem ad diversa connotata materialia; natura humana per se primò unitur substantiæ Verbi Divini, & secundariò tantum naturæ divinæ. Item vis intelligendi quæ est in Deo, participatur à lumine gloriæ, & actualis ejus cognitio, seu intellectio, à visione beatifica. Denique scientia Dei, quatenus est simplicis intelligentiæ, se extendit solum ad possibile, & ut visionis est, veritatem circa existentia & futura. Ita similiter, licet esse intelligibile, & entitativum, virtualiter non distinguantur in Deo, sed solâ distinctione rationis, petita ex habitudine, & analogiâ ad creaturas; hoc tamen non obstat, quominus essentia divina uniri possit intellectibus beatorum per modum formæ intelligibilis, absque eo quod ibi misceatur aliqua unio in esse naturali, & entitativo. De quo videri possunt Salmanticenses hic disp. 2. dubio 2.

Ad primam confirmationem, nego Minorem: Licet enim forma naturalis non possit constituere subjectum in actu, sine informatione; forma tamen intelligibilis complere potest, & determinare intellectum in actu primo ad intellectionem, sine inharrentia, vel informatione: ut constat in substantia Angeli, gerente vices speciei impressæ in cognitione sui.

Ad secundam confirmationem, concessio Antecedente, neganda est Consequentia. Etsi enim essentia divina constituat intellectum beatorum in actu primo, per modum formæ intelligibilis, modo explicato; non sequitur tamen, illam esse in potentia ad visionem beatificam, quia illam complet, & actualat per modum actus purissimi, & per se subsistentis, ac proinde seclulis imperfectionibus potentialitatis, inharrentiæ, & informationis. Quare solus intellectus, per se solum lumine gloriæ, & completus per ipsam essentiam divinam, in ratione formæ intelligibilis illi unitam, est in potentia ad visionem beatificam, non autem ipsa essentia divina, gerens vicem speciei, & formæ intelligibilis. Sicut licet personalitas Verbi Divini actualat, compleat, & intrinsece terminet humanam naturam: quia tamen eam terminat, per modum termini, & actus purissimi, non est, nec fuit in potentia ad eliciendas, vel recipiendas actiones creatas illius; sed tota potentialitas se tenet ex parte ipsius humanitatis assumptæ, & à personalitate Verbi terminata.

Objicies tertio: Ex unione speciei intelligibilis cum intellectu, debet aliquid per se unum resultare: At ex unione essentiæ divinæ cum intellectu beati, nequit aliquid componi; cum